



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vitæ Pontificum Romanorum**

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

**Sandini, Antonio**

**Bambergæ, 1753**

CLXVII. Eugenius III. Anno Christi 1145. Conradi III. 8. Manuelii Comneni 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65464](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65464)

*sem à Berengaria Comite Romana eidem Ecclesie olim donatam, Episcopatum in super Bambergensem, Ducatus Apulia, Calabria, Sicilia, Principatum Capuae, Imperium Romanum. Vide annotat. 6. ad Gregorium III. & annotat. 13. ad Gregorium VII.*

CLXVII.

## EUGENIUS III.

ANNO CHRISTI 1145.

CONRADI III. 8. MANUELIS

COMNENI 3.

**P**ost ridie mortem Lucii II. III. Kal. Martii *communi voto Cleri & populi* subrogatur Eugenius III. *Bernardus* antea dictus, Abbas Romæ in Cænobio S. Anastasii Ordinis Cisterciensis, S. Bernardi Claravallensis discipulus, contra decretum Stephani III. ut Pontifex ex Cardinalium collegio legeretur. (1) Tertio post die, quàm electus fuerat, sibi ab Arnaldistis metuens, cum Episcopis & Cardinalibus noctu profugit ad Cænobium Farfense, positum in Sabini quinto & vigesimo ab Urbe miliario, ubi IV. Nonas Martii Pontifex consecratus est. A Cænobio Farfensi

Bar. an.

1145. §. 2.

3. 13. 33.

Pag. §. 3.

4. 6.

fensi transit ad Civitatem Castellana-  
nam, atque inde Viterbium. Post  
menses octo, mitigatâ seditione, Bar. an.  
Romam demigravit. Redintegrato 1147. §. 3.  
ibi tumultu, secessit in Galliam, tutis- 10. 11.  
simum perfugium Pontificum Roma- Pag. §. 5.  
norum, susceptus à Ludovico VI. 8. 13.  
perhonorificè. Quo tempore mansit  
in regno eo. Concilia Parisiis ac Re- Bar. an.  
mis habuit, damnavitque Eonem 1148. §. 2.  
hæreticum quendam delirum, multa pag. §. 3. 5.  
in Evangelio credentem dicta de se,  
itidémque errores Gilberti Porretani  
haud rectè sentientis de Trinitate.  
Treviris quoque per idem tempus  
Concilium celebravit, in quo scripta  
Sanctæ Hildegardis diligenter excuf-  
sa probavit, eámque per epistolam  
hortatus est, ut illa, quæ instinctu  
divino afflatúque proferenda didi-  
cisset, prudenter proferret. Romam Bar. an.  
post annos amplius duos reversus, 1140. §. 1.  
tertiò abire Romanorum turbis est pag. §. 2.  
coactus. Pace cum Romanis factâ, Ur- pag. an.  
bem ingreditur, ibique cum eis anno 1152. §. 1.  
(1152) primitus commoratur: (2) In-  
greditur autem VIII Idus Septembr.  
seu V. Idus Octobr. prorsus ut vates  
vera fuerit Hildegardis, quæ pacem  
ei

ei sub exitum Pontificatus prædix-  
rat. Obiit enim anno insequente,  
Nonis Julii Tibure, quò animi cau-  
sâ receperat sese. Itaque Pontifex  
fuit annos octo, menses quatuor, & dies  
decem. Demortui corpus Romam  
delatum est magnâ pompâ funeris,  
& in Æde S. Petri sepultum, & mi-  
raculis gloriosis illius sepulchrum illu-  
stratum. (3)

(1) Vide annotat. 2. ad Stephanum III.  
& annotat. 2. ad Cælestinum II.

(2) Robertus de Monte in Appendice ad  
Chronicon Sigeberti ad annum 1152. inter  
Scriptores Rer. Germanic. Pistorii tom. 1.  
pag. 884.

(3) Hugo Episcopus Ostiensis epist. 44.  
inter Epistolas D. Bernardi edit. Mabillonii  
loquens de Eugenio III. *Cujus exequia præ-  
ter spem omnium ( jam fere enim Sen-  
tum adnihilaverat ) præter morem con-  
suetum ita per biduum sunt à Clero &  
populo celebratæ, ut jam crederetis re-  
gnantem in Cælis, qui mortuus ita cele-  
batur in terris.* Ex his verbis ita colligit  
Franciscus Pagijs in Præfat. tom. 1. §. 21.  
*Si exequiæ illius Pontificis per biduum  
sunt celebratæ præter morem consuetum,  
mos ergo adhuc ferebat, mortuos Pon-  
tifices vel die eorum mortis, vel altera  
post die celebrare.*

Pagius ad an. 1151. §. 10. Eugenius III. suggerente Gratiano Gradus quosdam Academicos excogitavit, non tam annorum, quàm profectus, scilicet Baccalaureatus, Licentiatus, & Doctoratus, ut hoc specioso titulo studiosos ad Jus Canonicum amplectendum excitaret, & privilegiis accenderet. Hanc enim graduum Scholasticorum institutionem omnes ferè qui de illis scripserunt, ad Gratianum & Lombardum retulerunt. Neque ante Petrum Lombardum eorum graduum in Scriptoribus mentio, indèque communiter dicitur, eum illos, Gratiani imitatione, Parisiis in Theologica disciplina instituisse. Sed hac de re legendus Balaus Sæc. IV. Hist. Universitatis Parisiensis.

CLXVIII.

## ANASTASIUS IV.

ANNO CHRISTI 1153.

FEDER. ENOBARBIREG. 3. MAN.  
COMN. II.

Postridie, quàm Eugenius III. ereptus est è vivis, successor ei datur Anastasius IV. Romanus, cui antea Conrado nomen, Cardinalis Episcopus Sabinensis, quem exacta  
jam